IN CARMEN HESIODI
QUOD OPERA ET DIES INSCRIBITUR
MELETEMATUM CRITICORUM
SPECIMEN.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

UNIVERSITATIS REGIAE FRIDERICO-ALEXANDREAE ERLANGENSIS

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

TRADIDIT

GUNTHARIUS KOCH

RUDOLPHOPOLITANUS.

RUDOLPHOPOLI

TYPIS MITZLAFFIANIS

MDCCCLXXXVIII.

Fabula ad Prometheum et Pandoram pertinens[1]) quisquis utrum vere Hesiodi sit necne diiudicandi negotium susceperit, exordiendum huic erit, nisi animus me fallit, ab accurata versuum proxime antecedentium consideratione. Litibus ut absistat fratrem cohortatus acerbissime perstringit poeta iudices

δωροφάγους, οἵ τήνδε δίκην ἐθέλοντι δίκασσαν[2]),

tum sic compellat:

νήπιοι. οὐδὲ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντός,
οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ[3]).

Quos versus Hesiodeum colorem unice prodentes[4]) dubito num idcirco, ut transitus aliquis fieret ad fabulam subsequentem, a compositore insertos esse opinaturus fuerit Schœmannus[5]), si eos ut pessimum ad iudicum aut Persae, sic ad ipsius Hesiodi res relatos optimum praebere sensum perspexisset[6]): quippe triplici hac ratione versus a viris doctis tentati sunt. Ac primum quidem qui ad iudices poetam, cum frugalitatis laudes canat, spectare opinantur, in tauta rerum inopia eos versatos esse fingunt, ut, nisi dona accepissent, futurum fuerit periculum, ne malva et asphodelo vescerentur: quo nihil potest esse ineptius. Itemque a veritate aberrat Fridericus Schœllius, qui alteram illam praeeunte Vollbehrio[7]) professus sententiam hanc interpretationem proponit: „principes tibi ex voluntate tua ius dixerunt neque tamen verum sic respexerunt commo-

1) Opp. et D. vv. 42—104.

2) V. 39 a Schœmanno eximie emendatus.

3) Vv. 40, 41.

4) Hac de re apte dixit Schœllius (sat. phil. Sauppio etc. p. 140 adn.).

5) Hesiod. reliq. p. 18.

6) Idem fugit Lehrsium in quaestt. epic.

7) Edit. p. 27.

dum tuum, quod in modo consistit atque frugalitate."[8]) Quid enim? nonne vitatur potius his verbis difficultas quam dissolvitur? Illud certe, male consuluise principes Persae, cum maiorem multo patrimonii partem luxuriae eius dissipandam darent, nemo ibit infitias. At cur tam stultos eos fuisse credamus, ut male se Persae consuluisse nescirent? Immo optime sciebant, sed avaritia capti non poterant non negligere eius salutem isti *δωροφάγοι*. Praeterea non tantulum pecuniae pater filiis reliquisse putandus est, ut, si acquievisset iusta sua parte, ad tenuissimum statim victum Perses redactus esset. His quanto melius tertia illa procedit interpretatio! Qua in explicanda ne longus sim, Steitzii[9]) mihi liceat uti verbis praeclarissimis, a quibus nihil habeo quod dissentiam, pauca quae addam. „Erbitterung über die Ungerechtigkeit der Richter drücken die Verse 40, 41 mit herber Kürze aus. Als ob diese bestochenen Richter ihn hätten kränken wollen, ruft er: *νήπιοι* etc., d. h. wenn er auch nur noch die Hälfte seines Besitzes hat, so ist dies für den Genügsamen mehr als das Ganze für einen Andern. Und v. 41 findet das gekränkte Gefühl bittern Trost in dem Paradoxon, worin die ganze Stelle wie in eine Spitze ausläuft: mögen sie mir denn auch alles entreissen, Malvenblätter und Asphodeloszwiebeln können sie mir nicht nehmen, und diese sind sogar *μέγ' ὄνειαρ*, eine süsse Kost." Sic „per se" verba non posse intelligi libentissime concedo Friderico Schœllio neque eum neque alium quemquam tam perspicacis esse prudentiae arbitrans, ut ex ipsis duobus versibus antecedentium ratione non habita sensum enucleare possit tolerabilem: at cur etiam „per orationis deflexum" cum Steitzio facere vetitum sit, copiosius demonstrare nescio quo pacto supersedet philologus. Unum equidem, in quo offendere potuerit, hoc intellego: nimis abrupte ei fortasse ad semet ipsum vv. 40, 41 convertere orationem poeta visus est, qui antecedentibus versibus verba faciat non de se iniuriam per-

[8]) p. 141 adn.
[9]) Die Werke und Tage des Hesiod (pag. 34 sq.).

pesso, sed de fratre iniuriam inferente. Contra id monendum est, cum ex toto versu 39, modo maiore eum, ut par est, voce legas, tum ex ipso *δωροφάγοι* nomine contumeliosissimo tantum indignationis elucere propter iniustitiam iudicum poetae irrepentis, ut proximus locus non dubium sit quin ad eandem illam indignationem pertineat plenius eloquendam.

Itaque nullam aliam nisi tertio loco supra positam versibus 40, 41 sententiam subesse tenentes num recte eam subsequentibus versibus excipi putamus, qui hominum vitam laboriosam esse et miseram non simplicibus modo verbis, sed fabula quoque doceant? Atque ex iis quidem, inter quos versus 40, 41 ad ipsum poetam spectare convenit, unus, quod sciam, Welckerus[10]) sermonis affirmat continuationem ideo poetae ne malvas quidem et asphodelos fastidienda videri ratus, quia praeterierit aetas quidvis boni in homines congerens quamvis otiosos. At, obsecro, ubinam de vilissimo illo victu sermo est non fastidiendo? Immo vero pro summis deliciis eum habendum esse poeta praedicat. Tanti autem malvas et asphodelos, i. e. pervulgatissimas plantas quasque sua sponte tellus offert, aestimanti nihil est cur vita abscondita, i. e. sustentandae eius facilitas ablata, expetendaque ea, quae vv. 43 sqq. describitur, vitae esse condicio videatur. Ista si vere probarentur poetae Ascraeo scilicet modo effato illud *νήπιοι* etc., vereor ne vaniloqui hominis nomine dignus esset altas sententias pronuntiantis, sed non veras putantis: tale quidquam ecquis censet cadere in Hesiodum? Sufficit igitur ad versus 42—104 ab Hesiodo abiudicandos ea quam exposui sententiarum discrepantia: ut exponere mittam, non illis tantum versibus excisis, sed eis quoque, qui sunt de aetatibus hominum, pulchre demum procedere orationem: qua de re sciscitantem satis habeo delegasse ad Twesteni de Opp. et D. commentationis p. 28 sq.[11])

---

[10]) Neque is quidem fidenter, cum dicat tril. Aeschyl. p. 73 adn.: „der Sinn der vorhergehenden Worte (vv. 40, 41) scheint zu sein“ etc.

[11]) Kil. 1815.

Hoc loco quispiam interrogaverit, num melius res procedant, si comprobetur Vollbehrii Schœlliique sententia eo poetam tendere putantium, ut frugalitatis necessitatem et unde haec hominibus iniuncta sit Persae respectu exponat. Atqui frugalitatis necessitas, qualem exhibent vv. 42 sqq., non moralis est, sed fatalis, utpote quae ex Promethei facinoribus vitam mortalium invasisse dicatur. De tali autem fatorum iniquitate qui edoceatur, minime aptum esse patet hominem adeo non illa coercitum, ut re familiari inhoneste aucta vitae compos sit luxuriosissimae. Accedit quod malis, quorum in extrema fabula mentio fit, nominatim adnumerare poeta certe non omisisset frugalitatem, si totam fabulam ad necessitatem eius illustrandam ipse inseruisset. Ergo altera illa versus 40 . 41 explicandi ratio neque per se stare potest neque ex iis qui sequuntur versibus adminiculi quidquam assequitur. Tota autem si fabula non est suo loco, plane corruit Schœllii opinio illud, quo ductus poeta fabulam inseruerit, scilicet ut peiorem hominum condicionem ex Iovis et Promethei litibus derivaret, etiam per singulas fabulae partes ita agnoscentis consilium, ut inde cur omiserit alia, alia exposuerit percipi possit: tale profecto consilium sicuti ab Hesiodo alienum est, ita, si non alienum esset, non impulisset eum, ut copiose quidem describeret ornamenta Pandorae, sed reticeret plane dolii fatalis originem[12]).

Iam vero fabula inde a versu 42 narrata sicuti, cum mirifice obluctetur sententiarum conexui, ab Hesiodo abiudicanda, ita non ab uno tantum interpolatore profecta est, sed plurium manus prodit. Quod cur credam prima apparebit causa ex ipsis versibus diligentius examinatis, qui sunt 42—58:

---

[12]) Item Rankeus decurtatam putat fabulam ex consilio poetico, cum dicit stud. Hesiod. p. 23: „Dort (sc. in Theogonia) ist der Inhalt der Erzaehlung selbst Zweck des Verfassers; hier dagegen ist die Erzaehlung bloss Mittel zur Erreichung eines anderen Zweckes, nemlich Perses und die Gleichgesinnten geneigt zu machen, sich anstrengender Arbeit zu widmen.“ Quod refellere, postquam de versibus 40, 41 dixi, non opus est.

Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι.
ῥηϊδίως γάρ κεν καὶ ἐπ' ἤματι ἐργάσσαιο,
ὥστε σέ κ' εἰς ἐνιαυτὸν ἔχειν καὶ ἀεργὸν ἐόντα.
αἶψά κε πηδάλιον μὲν ὑπὲρ καπνοῦ καταθεῖο,
ἔργα βοῶν δ' ἀπόλοιτο καὶ ἡμιόνων ταλαεργῶν.
ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε χολωσάμενος φρεσὶν ᾗσιν,
ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης.
τοὔνεκ' ἄρ' ἀνθρώποισιν ἐμήσατο κήδεα λυγρά.
κρύψε δὲ πῦρ. τὸ μὲν αὖτις ἐῢς παῖς Ἰαπετοῖο
ἔκλεψ' ἀνθρώποισι Διὸς πάρα μητιόεντος
ἐν κοΐλῳ νάρθηκι, λαθὼν Δία τερπικέραυνον.
τὸν δὲ χολωσάμενος προσέφη νεφεληγερέτα Ζεύς.
Ἰαπετιονίδη, πάντων πέρι μήδεα εἰδώς,
χαίρεις πῦρ κλέψας καὶ ἐμὰς φρένας ἠπεροπεύσας,
σοί τ' αὐτῷ μέγα πῆμα καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισι.
τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακὸν ᾧ κεν ἅπαντες
τέρπωνται κατὰ θυμὸν ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες.

Miror equidem importuna versum 50 antecedentibus adaptandi ratio quam paucis suspicionem moverit criticorum, apertissime quamvis narratio claudicet. An quemquam credibile est, cui propositum sit de duobus facinoribus canere a Iove in homines intentis, ita rem instituere, ut, postquam enarraverit prius facinus eiusque causam non semel tantum, sed bis memorari oportere putaverit [13]) quippe magni crudelis inauditi, novam eamque graviorem multo Iovis crudelitatem priori his verbis adnectat simplicissimis: *κρύψε δὲ πῦρ*? Illud certe, quod subaudiendum esse inconsulte rati locum curasse sibi videntur imprimis rerum mythologicarum narratores [14]), non satiata

---

[13]) Nempe *κήδεα λυγρὰ* ea habenda sunt, quae ex victu per laborem et industriam quaerendo manant.

[14]) Instar omnium Prellerum appello sic enarrantem in mythol. graec.: „Die Erzaehlung geht aus von der Betrachtung, dass die Menschen ihr Brod im Schweisse ihres Angesichtes essen müssen, weil die Götter ihre Nahrung im Schosse der Erde verborgen halten. So hat Zeus es gewollt aus Zorn über den Betrug des Prometheus (bei dem Vertrage von Sikyon), und auch das Feuer hielt er nun verborgen,

ira alterum ob eandem Promethei fraudem in homines Iovem excogitasse detrimentum, commemorare debuit. Quamquam de duobus facinoribus agi negat Schœmannus, cum dicit[15]: „Quod autem, posteaquam v. 47 de Iove simpliciter *ἔκρυψε* dictum est, ubi nihil nisi *βίον* e v. 42 subaudiri potest, nunc v. 50 legimus *κρύψε δὲ πῦρ*, subduxit ignem, apparet poetae nihil admodum interesse visum esse, hocine an illud diceretur, quod igne subducto necesse fuerit, omnem hominum vitam miseram et laboriosam fieri.“ Itaque non cumulandi illud *ἔκρυψε* (*βίον*), sed explicandi causa apposita esse putat verba *κρύψε δὲ πῦρ*, utpote quae quam naturalem rem adimens Jupiter simul ademerit omnem vitae commoditatem significent. Hoc si poeta dicere voluisset, id saltem, ut discerneret causam et effectum, ei dicendum fuit, peractam esse, priusquam misera hominum condicio existeret, ignis occultationem: at eodem verbi tempore atque victus subiungi vides occultationem ignis. In logicis igitur peccasse ut insimulet poetam, eo redit Schœmanni interpretatio: cuius insimulationis iniuste inde arripitur potestas, quod, qua ipsa in re facio cum Schœmanno, boni poetae hic non explet officia. Porro si utrum *βίος* an *πῦρ* diceretur nihil interesset in versibus 47 et 50, non plus sane interesset in quadragesimo secundo versu, unde ad v. 47 supplendum est obiectum: ibi autem quantum hoc ab illo distet, luculenter apparet vocabulis *βίος* et *πῦρ* in hunc modum permutatis:

κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ πῦρ ἀνθρώποισι,

unde poetae temporibus — nam ad ea spectant verba *κρύψαντες ἔχουσι* — ignis usum nondum concessum esse efficeretur.

---

bis Prometheus es entwendete. Darüber ist Zeus nun vollends sehr erzürnt und beschliesst“ etc. Welckerus vero utrum unum an duplex supplicium fuisse censeat, non prodit eius narratio obscuritate locum Hesiodeum adaequans: „Wenn wir zuerst die ältere Darstellung betrachten, so hat Zeus den Menschen die Nahrung verborgen, so dass sie schwere Arbeit statt des leichtesten Lebens haben, weil ihn der listige Prometheus betrogen hatte, worüber erzürnt er den Menschen schwere Bekümmerniss aussann und das Feuer versteckte.“ Vid. griech. Götterlehre I, 756 sqq.

[15]) Hesiod. reliq. p. 19.

Ergo refutata Schœmanni opinione ut duo vere facinora commisisse Iupiter putetur contextus, si quidem qualem nunc eum habemus urgemus, ratione flagitari optimo iure tenemus, alterum, quod constat in sublata victus comparandi facilitate, non solum ad poetae, sed ad nostram quoque aetatem atrociter perdurans, alterum, quod in igne subducto, Promethei furto olim ad irritum redactum. Alia vero nunc ista existit quaestio, utrum cohaeserint ab initio duorum illorum facinorum narrationes an aliquo modo postea convenerint. Atque convenisse eas ut suspicari licet ex importuna illa, de qua supra dixi, conectendi ratione, ita firmari mihi non dubium est quin possit uno eoque certissimo argumento, quod praebent vv. 90—93[16]):

πρώην μὲν ζώεσκον ἐπὶ χθονὶ φῦλ᾽ ἀνθρώπων
νόσφιν ἄτερ τε κακῶν καὶ ἄτερ χαλεποῖο πόνοιο,
νούσων τ᾽ ἀργαλέων, αἵτ᾽ ἀνδράσι κῆρας ἔδωκαν.

Etenim *πρώην* illud ad quod tempus referendum esse dicemus? Ad id sane ne referatur, quod medium interiacuit inter ignem a Prometheo recuperatum et Pandoram receptam, forma *ζώεσκον* impedit longius procul dubio spatium significans, quam per quod Jupiter supplicii de hominibus sumendi causa Pandoram mittere dubitasse putandus sit[17]). Itaque alterum illud restat, ut *πρώην* vocabulo totum quod fuit usque ad Pandoram receptam tempus significetur: nam interruperit licet aliquando summam ac divinam, paene dixerim, huius aevi felici-

---

[16]) Nisi forte hos versus ab antecedentibus seiungendos esse cum Lehrsio eiusque asseclis putas. At vera etsi sit scriptura *πρώην μέν*, etiam sic verba sufficere ad conectendam orationem recte animadvertit Schœllius p. 143. Neque vero seiungendi argumentum inde petere licet, quod dolii malis repleti nimis abrupte fit mentio: hoc enim quid mirum in interpolatoris carmine de aliis quoque rebus iisque haud minoris momenti mire reticente? Ob id ipsum non est, cur excidisse complura, quibus ille *πίθος* descriptus sit, cum Heyero suspicemur. Cf. p. 21 sqq.

[17]) Cadit hoc praecipue in Schœmannum, qui constans sibi de uno supplicio perperam cogitanti miseram illam, in quam subducto igne homines delapsi sint, condicionem per furtum Promethei sublatam et ad recuperatam hanc felicitatem *πρώην* illud trahendum esse statuit Hes. reliq. p. 19.

tatem Iupiter usum ignis hominibus abnuens, non tam diu certe eam interrumpi audacia Promethei sivit, ut perturbata omnino videretur condicio hominum. Atqui non ignem modo, sed etiam victum a Iove absconditum esse legimus eumque prius illo ac tam pertinaciter, ut nisi strenuo labore ne nostra quidem aetate parari possit (vv. 42 — 49): id quod minime congruit cum vv. 90 sqq., quibus post Pandoram demum receptam laborem hominibus accidisse traditur omnemque molestiam. Ergo tantum inter se pugnare narrationes duorum Iovis facinorum demonstrasse mihi videor, ut non cohaesisse eas ab initio, sed conflatas esse pateat: quod omnes eos fugit, quibus vel totum carmen vel hoc saltem additamentum unum continuumque esse persuasum est.

Sequitur ut qua ratione illae conflatae sint indagando assequi conemur. De hac re primum audiendus est Lehrsius, sagacissimi ingenii vir, qui eam quam tractamus carminis partem sollerter excussit quaestt. epic. p. 224 sqq. Substructam hic arbitratus variarum fabularum molem, quarum alia aliter quomodo labores et aerumnae ad homines venerint explicet, primam et secundam has esse statuit: „1) Iupiter Prometheo propter fraudem Meconeam iratus victum hominibus abscondidit. 2) Iupiter propter fraudem Meconeam Prometheo iratus primum ignem abscondidit, hoc deinde per Prometheum recuperato Feminam creavit, quam Epimetheus accepit, quae facta calamitas hominibus, quod luxui et otio dedita est.“ Divellit igitur ab antecedentibus versus 50 sqq., illis aliunde atque his malorum originem repeti putans. Hoc propterea primo obtutu videtur probandum esse, utpote ex quo appareat, unde importuna illa narrandi ratio exorta sit, e contextarum scilicet narrationum sutura non satis deleta. Neque tamen satisfacit mihi Lehrsii sententia id, sine quo stare nequit, narrationum illarum priorem tam veram ac genuinam fabulam esse quam alteram vel idcirco concedere dubitanti, quia nemo alius scriptorum veterum fabulam quondam apud Graecos circumlatam memorat, qua a Iove propterea irato,

ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης,

victus absconditus esse traderetur, non ignis. Etenim hoc versu non dubium est quin Meconea fraus breviter significetur: haec autem qualis fuerit qualemque subierit poenam, in hunc modum exponitur Theog. vv. 535 sqq. Olim pactione inter deos et homines facta[18]), cum Iovi Meconae sacrificaretur[19]), Prometheum mactati bovis loco secrevisse carnem cum visceribus et ossa ac postquam illa corio, haec arvina callide involvisset, optionem dedisse Iovi alterius utrius portionis elegendae, cum speraret scilicet fore ut is blanda specie deceptus deteriorem portionem sibi sumeret, hominibus relinqueret meliorem. Et perspecto dolo Iovem nihilo secius ossa elegisse, quo apertior fieret fraus Promethei: tum vero a deo maximo irae indulgente, scilicet ne carne diis impie praerepta frui possent[20]), homines ab usu ignis esse prohibitos. Quem surreptum cum Prometheus ad terram detulisset, ut gravissimis et is ipse et homines poenis afflictarentur, alligatum illum ad saxum, his muliere creata innumeras calamitates missas esse. Ab hac igitur Theogoniae fabula illud maxime animo velim infixum teneas, quotquot post Hesiodum scriptores res Prometheas attigerunt, non tantopere quemquam dissidere, ut aliam rem a Iove irato hominibus absconditam esse memoret atque ignem: quocirca victum si qua unquam a Iove absconditum esse fabula docuit, nisi hoc loco nullum eius vestigium remansisse putandum est. Sed hoc ut per se verisimilitudine caret, ita sermonis quibusdam indiciis refellitur, quibus non veram fabulam hic insertam,

---

[18]) Vid. Schœmanni Aeschyl. Prom. p. 113.

[19]) Falso Rankeus stud. Hesiod. p. 16 rem ita accipit, quasi calliditatis certamen inire voluerint Iupiter et Prometheus.

[20]) Sic res cohaerere primus vidit Rankeus l. s. s. p. 17 sic disputans: „Prometheus überlistete den Zeus, um den Menschen eine Wohlthat zu erzeigen; sie sollten nicht die Hälfte, sondern das Ganze behalten; die Götter bei der Teilung nur empfangen, was den Menschen unbrauchbar wäre. Kaum hatte er dies glücklich beendet, so entzog ihnen Zeus das Feuer und mit diesem auch das Mittel, das Fleisch durch Braten und Kochen zum Essen zuzubereiten und vereitelte damit des Prometheus List. Jetzt würde den Menschen der ganze Gewinn verloren gewesen sein, hätte ihnen nicht Prometheus das Feuer gebracht.“

sed generalem sententiam ex inepto diversa conglutinandi studio fabulae indutam esse apparet specie. Nam comprehende, quaeso, solos versus 42—46 legendo: num persuadeas tibi, ei, qui haec scripsit, in mentem venisse certi cuiusdam facinoris nescio qua aetate a diis perpetrati? Immo saepe fieri constat, ut deos pie dicant homines aliquid perfecisse, quo quin coerceantur non valere sese sentiunt ad inhibendum. Veluti versu illo, qui est huius carminis 289,

τῆς ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν,

nihil aliud significatur quam sudandum esse hominibus, priusquam virtutis laudem adipiscantur: ad certum vero deorum facinus ἔθηκαν illud non pertinet. Aeque versuum 42—46 scriptor non fabulam enarrare, sed sorte quadam inevitabili ita institutum esse docere voluit, ut adeo non praesto sit cuilibet esurienti victus, ut contra nisi summo labore et industria parari nequeat: κρύπτειν autem verbum valde arridet, utpote per quod pleraque cibaria e sinu terrae, ubi tanquam occulta iacent, elicienda esse memineris. Non respondere quidem sententiarum conexui versus 42—46 supra demonstravi: liquet tamen, cur hoc potissimum loco inserti sint. Nam de versibus 40, 41 non ita sane perlucidis si perperam iudicant nostrae, quidni perperam iudicavisse credamus antiquae aetatis homines? Exstitit facile quispiam, cui quo spectaret exclamatio illa ac quali animi affectu poetae extorta esset neque scienti neque multum forsitan sciscitanti de vilissimo victu agi saltem perspectum esset: tali cur Persae vel iudicibus vel alii cuipiam acquiescendum esset non exponi miratus addidit aliquid nescio unde arreptum, quo communem omnium hominum esse lautius vivendi difficultatem probaret: nempe non ad eos labores tantum, qui manant e victu quaerendo, sed ad omnia vitae detrimenta verba κρύψαντες ἔχουσι βίον spectare non existimavissent quidam critici, nisi congruentiae desiderio occupati fabulae, quae est de fatali Pandorae dolio, aptum caput per vim et violentiam imponere studuissent.[21]) Generalem autem illam

[21]) Ceterorum instar Fridericum Schœllium memoro de versu 42 disputantem l. s. s. p. 142. Quae tota disputatio vel ideo caduca est,

sententiam ut interpolatam esse, ita solis versibus 42—46 contineri patet, quorum ratione et consilio miror quod Lehrsii aciem fugit plane excidere tres versus eos, quos proxime subiunctos videmus, non iam philosophantes, sed prorsus fabulantes: nam incerti illius numinis loco unum certissimumque deum substituunt et unum certissimumque eius facinorum victus fuisse fingunt occultationem: id quod secundum ea quae exposui non dubium est quin sufficiat ad vv. 47—49 ab antecedentibus divellendos, non concedas licet, quod tamen admodum probabile existimo, laboris necessitatem versuum 42—46 si non interpolatori, at certe auctori non tam mali quam boni aliquid videri, utpote per quam inerti ea, quam lepide describunt vv. 43—46, vitae degendae evitata ratione ad industriae omniumque virtutum certamen ineundum homines accendantur: tale profecto aliquid consentaneum est in carmine, unde translati huc sunt vv. 42—46 per se optimi, his subiunctum fuisse,

---

quia non quaslibet vitae calamitates, sed unam alimenta acquirendi difficultatem verbis κρύψαντες βίον ἔχουσι significari luculentissime declarant cum omnes versus 43—46 pleniorem illum sensum respuentes tum 45 et 46: nam quibus opus esse inde apparet rusticis navalibusque laboribus, subire hos solent homines ex omnibus quibus opprimuntur calamitatibus ut unam depellant: nimirum non bellum dico, non discordiam, non morbum, sed famem. Quid? quod ipso versu 42, siquidem Hesiodeam eius originem affirmat, impediri Schoellius debuit, ne ad totam illam miseram quae propter Promethei scelus hominibus immissa est condicionem eum referret. Nam fac fieri potuisse, ut βίον κρύπτειν translate diceretur pro „vitam omnibus numeris miseram reddere“ scilicet tanquam occultando vel obscurando (id quod tamen neque exemplo comprobare possum neque veri simile puto): ampliorem tunc βίος certe vocabulo sensum et altiorem vindicari necesse esset quam quem pateretur usus Hesiodeus. Quotiescunque enim βίος vocabulum in hoc carmine usurpatur, alimenta eo significari video vel bona domestica: vid. vv. 31. 42. 232. 316. 577. 601. 634. 689. Par non raro apud Hesiodum occurrit vocabuli βίοτος significatio, latius ceteroquin patentis Theog. v. 605. Neque alienus est ille usus a sermone posteriorum: vid. Eurip. Suppl. 450. 801. Aristoph. Plut. 751. Xen. Hell. VII, 1, 2. Dio. Cass. p. 319. Ergo verba βίον κρύψαντες ἔχουσι nullam aliam admittunt interpretationem atque eam, quam supra exposui.

non fabulam.[22]) Haec si recte disputata sunt, non difficile erit diiudicare, cuius e fabrica provenerint versus 47—49. Namque primarias proximae fabulae partes si ab eo ipso deo agi viderimus, cuius nomen repente introducunt, tres illi versus dubitare non poterimus quin ab eodem, cuius opera fabula hic inserta est, transitus causa compositi sint. Iam vero ipsam fabulam cuinam tribuemus? Certe non ei, qui huc traxit versus 42—46: nam insertis his nihil fuit cur non explevisse ille sibi videretur munus suum malvae tantum et asphodeli gratia susceptum: latius contra patet proxima carminis pars omnis generis calamitatibus vitam humanam vexari docens non ex incerto quodam nutu, sed Promethei scelesta audacia exortis. Huiusmodi fabulam adnectendi mihi quidem persuasum est alium vel interpolatorem vel, si malis, rhapsodum ansam nactum esse versu illo *κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι*, qui quamvis dictus sit nullo rerum mythologicarum respectu facile tamen fieri poterat ut aliud illud *κρύπτειν*, de quo est versus 50, menti repraesentaret non minoris sane momenti itemque, modo verba premantur, a divina origine profectum. Excitata vero huius rei memoria ad totam fabulam, cuius pars est ignis occultatio, enarrandam eo magis invitabat v. 42, quod neglectis dumtaxat iis, qui ad ventriculo satisfaciendi difficultatem illum spectare dilucide docent, versibus 43—46 tanquam sua sponte ad latiorem ita expandi videbatur sensum, ut congruens esset cum extrema fabula. Quod autem primum, posteaquam fabulam inserere animum induxit, curandum erat interpolatori, ut oratio converteretur

---

[22]) Heyeri miror perversitatem sic disputantis: „repetitur post interiectos versus 44—46 aptissimos atque vetustissimos eadem sententia, quae v. 43 exhibetur.“ (De Hesiodi carmine, quod opera et dies inscribitur. Schwer. 1848. p. 21.) Rankeus vero quam secure in eiusdem carminis tenorem diversissima constipet, num apertius ipse prodere potuit quam cum dicit: „Auf der Stelle verlässt jetzt der Verfasser der W. und T. seine bisherige Kürze und fängt an in epischer Weise die Personen redend und handelnd einzuführen“ (p. 17) vel: „Es folgt lose und äusserlich verbunden eine Darstellung der verschiedenen Zeitalter“ etc. (p. 28).

ad ipsum Iovem, id quem fugit verbis ἀλλὰ Ζεὺς ἔκρυψε fieri pro diis Iovem substituentibus[23])? Contra ignem non erat copia substituendi pro victu, cuius prorsus sublata occultatione vinculum illud, quo versus 42—46 antecedentibus conexos esse primus interpolator voluit, diremisset alter. Itaque non substituit ignem, sed a victus ignisque occultationis coniunctione non abhorrens illud saltem prospicere voluit, ne fabulas aperte commutasse coargueretur: id quod evenisset, si Iovem victum occultare adeo non satis habuisse ad iram satiandam, ut etiam ignem absconderet, planis verbis fabulatus esset. En causa, cur in versu 47 tanquam in suspenso relinquat verbi ἔκρυψε obiectum et versum 50 tam laxe cum antecedentibus coniungat, ut prorsus novam rem addi vix sentias. Ergo generali sententiae fabulam adglutinandi studio factum est, ut illa ipsa sententia in speciem fabulae verteretur: sic exiit illud de Iove propter fraudem Meconeam victum occultante, quod commenticiae equidem fabulae nomine designem. Quod autem iis saepe accidere solet, qui non de integro carmina pangunt, sed sua alienis permiscent, ut efficiant aliquid non omni numero congruens et rotundum, id huic quoque accidisse quid mirum est? De qua re conferenda sunt quae exposui p. 11 sq.

Tali modo si coaluit ea quam tractamus carminis pars, non iam est cur sensus verbi κρύπτειν anxie curemus congruentiam. Hoc qui facit Heffterus[24]), postquam primo loco ad difficultatem victus quaerendi verbum redire recte exposuit, eandem difficultatis praebendae notionem etiam verbis κρύψε δὲ πῦρ inculcare conatur, cum dicit: „Hier liegt die Idee oder der allgemeine Erfahrungssatz zu Grunde, dass der Stoff zum Feuer (sic!) gewöhnlich physisch gebunden ist, und es erst einer Anstrengung bedarf, bevor es hervortritt.“ Tangitur his verbis subtilis illa furtum Prometheum sic accipiendi ratio, ut mens humana e lignis inter se attritis excitare ignem

[23]) Bernhardyo incertam quandam suspicionem movit, „die verfehlte Beziehung des ἔκρυψε v. 47“ (hist. litt. graec. II p. 174).

[24]) Zeitschrift für die Altertumswissenschaft 1836, partic. 53—55.

didicisse dicatur[25]). Atque ego ut eo referendam esse negare non ausim fabulam illam unam per se, ita interiorem huius sensum ad verba κρύψε δὲ πῦρ interpretanda arcessi non licere contendo per eum in quem furtum Promethei in nostro carmine adactum est fabularum conexum.[26]) Nam primum, si tunc demum, postquam deceptus est Iupiter a Prometheo, ignis sub rebus naturalibus latere (physisch gebunden zu sein) coepit, consequens est, ut aut non fuisse eum antea dicas aut libere mundum pervagatum esse: atqui neutrum probari posse apparet, quia alterum vel eo refellitur quod absque igne sacrificium a Prometheo offerri non potuit, alterum absurdum est. Porro probe teneas, idcirco a Iove ignem absconditum esse, ut de hominibus supplicium sumeret, nec graviorem quandam illum irrogaturum fuisse poenam, si difficultate ignis excitandi acquievisset. Ergo cum κρύψε δὲ πῦρ ait rhapsodus, id putes vult Iovem curasse, ne esset penes homines ignis. Victus contra est penes homines: ita igitur differt duplex verbi κρύπτειν usus[27]), ut victum parandi graviter tardata esse, sed ignem adipiscendi prorsus sublata dicatur potestas. Neque ego ex hac sensus diversitate novum, quo divellendos versus esse docerem, argumentum petere cunctatus essem, nisi etiam iucundi quid illam habere cuidam[28]) videretur: hoc autem cum ex sensu pulchri pendeat nescio an frustra in disputationem deducatur: mihi quidem, si ab uno auctore versus profecti essent, aut inepte lusisse is videretur aut puerulorum instar inopia verborum laborasse. Ceterum Heffterum secutus per me licet κρύπτειν verbum ter positum una voce „verstecken“

---

[25]) Quod Kuhnius (die Herabkunft des Feuers p. 23) comprobare conatur nomine „Prometheus“ in comparationem vocato cum voce indica „pramantha“, quae significat lignum fricatorium.

[26]) Cf. Buttm. Mythol. p. 54: „Dabei wiederhole ich jedoch, dass die Dichter selbst schon tief in die Zeiten der Mythensysteme fallen, dass sie, unkundig oft der ersten Form und des wahren Sinnes einer uralten Dichtung, diese mit andern ganz fremden Dichtungen verbinden und mit widersprechenden Nebenideen ausschmücken“.

[27]) Perperam de hac re suspicatur Goettlingius edit. I p. 19 adn.

[28]) Heyerum dico.

vertas, utpote quae sit notionis similiter ambiguae. Explicandi vero eam, quam proponit ille, rationem qui suam fecerit virorum doctorum novi neminem: immo curasse Iovem, ne ignis penes homines esset, consentientes id unum, utrum concessus fuerit antea hominibus usus ignis necne, in disceptationem vocant. Sane neutri interpretationi adversatur verbum *κρύπτειν* per se, cum ubi locorum antehac fuerit ignis in medio relinquat[29]. Haec loca procul dubio hominibus aut patebant aut non patebant. Si patebant, id studuisse Iupiter putandus est, ut non iam paterent. Sin aliter non patebant, id, ut non patere pergerent. Itaque illam qui profitentur sententiam Gœttlingius, Lennepius[30], Klausenius[31], alii „entziehen" voce putant *κρύπτειν* vertendum esse, hanc qui sequuntur Voelckerus[32], Welckerus[33], Schœmannus[34] „vorenthalten". Sed ut neque illorum neque horum interpretatio verbis repugnat seorsum exhibitis, ita una ea, quam illi proponunt, quadrat ad rerum narratarum conexum, quia mortales iam antea ignis usum novisse et sacrificio comprobatur, quo usi erant, et ea quae fit Theog. v. 536 Meconae urbis mentione: nempe fieri potuisse, ut urbs ab hominibus conderetur igne carentibus, credere absurdum est[35]. Neque omnino, reor, virorum doctorum quisquam eo delapsus esset, ut aliam atque adimendi notionem verbo *κρύψε* inesse putaret, nisi ut vocabulo „vorenthalten" potius verteretur suadere visus esset Theogoniae auctor de eadem re, postquam fraudem Meconeam narravit, sic loquens vv. 562—564:

---

[29]) Quod dico contra Prabuckium (de Prometh. Hesiod. Vratislav. 1835. p. 40).

[30]) Edit. p. 308.

[31]) Theol. Aeschyl. p. 143.

[32]) Mythol. Iapet. p. 26.

[33]) Nachträge etc. p. 597.

[34]) Dissertat. de Pand. p. 13.

[35]) Aliud argumentum Gœttlingius petit a particula *αὖτις* v. 50. Contra recte monet Prabuckius non tantum eam valere, quantum ille voluerit, sed modo ut significet de igne post Iovis invidiam rursus aliquid esse factum, cum Prometheus cum rapuisset (l. s. s. p. 40).

(Ζεὺς) ἐκ τούτου δὴ ἔπειτα, δόλου μεμνημένος αἰεί,
οὐκ ἐδίδου μελέοισι πυρὸς μένος ἀκαμάτοιο
θνητοῖς ἀνθρώποις, οἳ ἐπὶ χθονὶ ναιετάουσιν.

Scilicet οὐκ ἐδίδου ἀνθρώποις de eo tantum recte dici posse contendunt, qui hominibus rem, qua egerent, dare recusaverit. Voluisse igitur Iovem statuunt, ut eadem qua antea usi essent etiam post fraudem Meconeam homines vitae condicione uterentur. Quod autem tum in urbe habitantes tum sacrificia facientes homines inducuntur, qui igne carent, id in miris illis necessario ponunt repugnantiis, quibus fabulas nonnullas laborare narratorum simplicitas sivit. Spinosam hanc interpretandi viam ut ingrediar eo minus ego adducor, quia hominum condicionem plane invertere magis quam ut eadem esse pergat curare dei est irascentis: dico? immo vero, si hoc curare satis habuisset, omnino non supplicium Iupiter de hominibus sumpsisset, qui si non noverant ignis emolumenta consequens est, ut non desideraverint. Nunc felicissime contingit, ut Theogoniae versus cum verbis κρύψε δὲ πῦρ etiam ita acceptis, ut ademptum ignem esse significent, apte conciliari possint, dummodo recte iusteque sic vertas: „quo quidem ex tempore postea deinceps non permittebat hominibus ignem“. Etenim si ex illo tempore demum non permittebat ignem [36]), ita antea rem sese habuisse, ut concessus esset hominibus ignis, luce clarius est. Ergo non obstare puto Theog. vv. 562—564, quominus eam, quam cetera omnia commendant, interpretationem secuti κρύπτειν illud vocabulo „entziehen“ vertamus.

Iam si quaerimus, quae maxime res scriptoris patefaciant ingenii mediocritatem [37]), non paucas eas esse animadverterunt Schœmannus, Bernhardyus, Hillerus, alii recteque ex eis aliud, quo Hesiodeam esse negarent originem, petiverunt argumentum. Ac primum quidem in eo offendendum

---

[36]) Cave ad δόλου μεμνημένος αἰεὶ trahas verba ἐκ τούτου δὴ ἔπειτα vel causalem iis sensum imputes.

[37]) Cf. p. 10 med.

est, quod quaerenti, quae et qualis illa fraus fuerit ad Iovis iram excitandam efficax, nihil respondetur. Item versu 56 poenam pronuntiari illam quidem Prometheo, sed silentio deinde praeteriri ineptum est[38]. Accedit quod versu illo futuris tantum hominibus pestis praedicitur, qua tunc ipsum viventes confestim afflicti sunt. Talia qui peccavit, fortasse is Iovis attributorum coacervavit cumulum, quem exhibent versus 51—53: quapropter assentiri cunctor Schœllio versum 52 extrudenti. Denique, qua de re maxime edoceri cuperes, unde dolium venerit omnis generis malis repletum reticet. His narrationis mendis a Schœllio male defensis[39] sunt qui discrepantias eas adnumerent, quas inter versus 60—68 et 70—82 intercedere primus vidit Lehrsius p. 226 sq. Namque exsequitur v. 72 Minerva quae neque imperata sunt a Iove neque satis huic maxime deae conveniunt, Venus autem mulieris corpus venustum reddere versibus 65, 66 iussa deinde omnino omittitur quaeque substituuntur Gratiae Suada Hora non ipsum corpus venustum reddunt, sed mundo muliebri extrinsecus exornant[40]. Magis etiam offendit, quod v. 61 Vulcanus mulieri *ἀνθρώπου αὐδὴν* tribuere iubetur, v. 79 contra Mercurius *φωνὴν* ei impertit. Importunissima omnium haec discrepantia ut dissolveretur, duae interpretationes ab antiquis tentatae sunt, altera haec: *εἰ δὲ καὶ τοῦτο γνήσιον εἴη τοῦ Ἡσιόδου, τὸν Ἥφαιστον τὸ ὄργανον ἐροῦμεν ὑποστῆσαι τὸ ἄλογον, δι' οὗ δύναται συμφθέγγεσθαι τῷ λόγῳ, τὸν δὲ Ἑρμῆν αὐτὴν δοῦναι τὴν δύναμιν τὴν λογοειδῆ*, altera alius auctoris: *ῥητέον ὡς τὸ μὲν ἐνδιάθετον ἐκεῖνος, τὸ δὲ προφορικὸν ὁ Ἑρμῆς ἐντίθησιν.* At neutra probabilis est, quia *αὐδὴ* neque instrumentum vocis significat ab ipsa voce diversum neque *τὸ ἐνδιάθετον* h. e. tacitam mentis repu-

[38]) Nam commutandi verba in *σφίν τ' αὐτοῖς* non copiam facit Apollon. de pron. p. 125. Cf. p. 32 adn.

[39]) Cf. p. 8.

[40]) Ad animum excolendum versus 65, 66 pertinere mire opinatus est Schœllius p. 136.

tationem, sed nihil aliud nisi vocem humani generis propriam[41]). Neque Gœttlingius rei veritatem assecutus est, recte ille quidem αὐδὴν interpretans, sed iniuria φωνὴν suadam esse volens: nihil enim est φωνὴ nisi ψόφος τις ἐμψύχου (Aristot. de anim. 2, 8). Adoptavit Gœttlingii φωνὴ vocis interpretationem Lennepius[42]), longius ceteroquin quam ille a vero aberrans, quia αὐδὴν instrumentum vocis esse assentit scholiastae. Interpretatione igitur conciliari nequeunt versus 61 et 79. Sed evanescere discrepantiam versu 79 deleto post Proclum Heyneus, Vollbehrius, Kœchlyus, alii viderunt. Atque pluribus gravioribusque simul is versus incommoditatibus implicitus est, quam ut tolerari possit. Primum duorum, quae continentur versibus 77—80, enuntiatorum offendit deformis aequabilitas, quippe quorum alterum antecedentis et subiectum et praedicatum et particulam ἄρα in cassum repetat. Tum ἐντεύχω verbum male congruens est iis, ad quas pertinet, Pandorae dotibus. Auget suspicionem illud Διὸς βουλῇσιν supervacaneum post versum 71 sartorisque manum arguens. Postremo vero iam versu 78 loquendi compotem esse mulierem indicatur, siquidem tantum is valet, ut mala consilia non percipere modo, sed etiam proloqui Pandoram a Mercurio didicisse significet: quod quamvis a Schœllio improbetur, optime tamen quadrare mihi videtur ad eloquentiae praesidem[43]). Haec quidem argumentorum a Steitzio ad versum 79 damnandum prolatorum probanda sunt. Non probandum est quod nomen indere non Mercurii, sed Iovis esse ratus sic conicit:

θῆκεν · ἀτὰρ Κρονίδης ὀνόμηνεν τήνδε γυναῖκα.

Nam rectissime monitum est, ipsius poetae quemnam deorum

[41]) Quod exemplis diserte illustravit Steitzius p. 44.

[42]) Quem negligentius scribit Schœmannus opusc. acad. III p. 56 adoptasse illud ῥητέον ὡς τὸ μὲν etc.

[43]) Ut ad blanditias verborum, non versuta consilia αἱμύλιοι λόγοι referantur, etiam α 56 suadet: (Καλυψὼ)

αἰεὶ δὲ μαλακοῖσι καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι
θέλγει, ὅπως Ἰθάκης ἐπιλήσεται,

neque dissuadent Opp. et D. 789. Theog. 890.

nomen indidisse velit permittendum arbitrio neque, si Mercurium voluerit deum dicendi artificem, fas esse corrigere. Desiderat[44]) quidem Steitzius, cum versus 81—82 omnium deorum muneribus mulierem exornatam esse nomenque inde traxisse tradant, muneris a Iove accepti mentionem. Sed praeterea quod tam anxie *Πανδώρη* nomen premi vix oportet, peculiare donum non opus fuit accipientem eam facere a deo, cuius omnino ut ad lucem procrearetur consilio factum est[45]). Extruso igitur versu 79 intactum relinquemus proxime subsequentem, quo non inusitate verbis *διάκτορος Ἀργεϊφόντης* novum epitheton adiungi exemplis ipse comprobat Steitzius p. 47 adn. scite arcessitis. Sic una eaque gravissima narratio levata est discrepantia[46]): reliquis quid faciendum erit? Conservandas has esse qui putant, id ad tuendam suam sententiam afferre solent, in aliis quoque rebus hunc praebere sese pessimum poetam. Hoc quidem recte. Sed attendendum est, qualia sint illa peccata. Nonne aut rebus, quas ut totum intellegatur sciri opus est, silentio tectis continentur aut sen-

[44]) Dummodo recte intelligam perplexum illud „zumal bei der 81 und 82 gegebenen Begründung“.

[45]) Refellitur igitur Steitzius, etiamsi ea, qua nititur eius coniectura, nominis Pandorae explicatio vera sit: sed insuper in dubium hanc vocandam esse infra apparebit. Cf. p. 35 sq.

[46]) Versuum 62 et 79 discrepantiam non tolerabilem esse et ipse agnovit quidem Schœmannus, sed ita solvebat, ut, postquam nescio quo casu oblitteratum esset post *κῆρυξ* aliquod *φωνὴ* vocabuli epitheton loquelae a Vulcano datae certam quandam a Mercurio qualitatem ingenitam significans, sive *γλυκερὴν* sive *ἐρατὴν* sive aliud, ad versum supplendum *γυναῖκα* vocabulum adpictum esse putaret. Legit igitur:

ἐν δ᾽ ἄρα φωνὴν
θῆκε θεῶν κῆρυξ ⏑ ⏑ —· *ὀνόμηνε δὲ τήνδε*
Πανδώρην etc.

Hanc discrepantiam solvendi rationem artificiosiorem multo esse et audaciorem, quam ut plausum ferre possit, manifestum est. Manet praeterea, quae imprimis tollenda videtur, deformis enuntiatorum aequabilitas et evanescit *γυναῖκα* illud, in quo eliminando non video cur viri docti elaboraverint, quippe muliebris sexus iam verbis *παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον* indicati aptissime memoriam recolente. Quapropter minime placet Schœmanni sententia.

tentiis parum argute et eleganter expressis? „At repugnantiae quoque aliquid narrationi inest.“ Hoc certe, cum per conglutinationem irrepserit, facile fieri potuit ut scriptorem praeteriret. Contra, si etiam ad ea, quae tota ipsius sunt, discrepantias admisisse eum putamus summas ac manifestissimas, periculum est, ne socordiorem eum quam fuit increpitemus. Itaque non vituperaverim equidem viros doctos, qui in tollendis discrepantiis multum operae laborisque consumpserunt. Horum qui ferro putat locum sanandum esse, ita sanat Heyerus, ut ea, quae quamquam per versuum 60—68 tenorem praescripta tamen perfecta esse tum non dicuntur, ad verborum similitudinem ipse affingat, veluti

αὐτὰρ Ἀθήνη
ἔργα διδάσκησεν etc. [47]),

et recocto versu 71 ad ipsum Vulcanum violenter sic trahat versum 79:

αὐτίκα δ' ἐκ γαίης πλάσσε κλυτὸς Ἀμφιγυήεις
παρθενικῆς καλὸν εἶδος ἐπήρατον· ἐν δ' ἄρα φωνὴν
τεῦξε Διὸς βουλῇσι βαρυκτύπου· αὐτὰρ Ἀθήνη
ἔργα etc.

Deinde eliminat versum 73 et intactum relinquit 76. Sic, modo Minervam excipias bis nominatam, satis bene procedens aliquid gigni lectuque iucundum non infitior. Priscam tamen versuum condicionem restituisse vel ideo longe abest ut Heyerus putandus sit, quia tantae et mutilationis et disturbationis originem neque aperuit neque aperire potuit. Praeterea illud quidem curavit, ut ea, quae per versus 60—68 praescribuntur, iisdem deinde dicerentur verbis perfecta esse, sed epicum morem, quem servari a poeta existimat, etiam versibus 73—75 laesum negligit, siquidem perfecisse aliquid his narrantur deae, quarum omnino non extant nomina in antecedentibus [48]).

---

[47]) Versum 66 cur iterare noluerit nescio.

[48]) Itaque, ut plenum duabus particulis concentum imprimeret, ad similitudinem versuum 73—76 compositum aliquid Iovis iussis affingere debuit affingendi studiosissimus criticus.

Simplicius multo ac probabilius ut versus 61—69 eliminentur commonet Steitzius. Quibus eliminatis eodem fere modo narratio continuatur atque his Theogoniae versibus [49]):

δάκεν δέ ἑ νειόθι θυμόν,
ὡς ἴδ' ἐν ἀνθρώποισι πυρὸς τηλέσκοπον αὐγήν.
αὐτίκα δ' ἀντὶ πυρὸς τεῦξεν κακὸν ἀνθρώποισι.
γαίης γὰρ σύμπλασσε περικλυτὸς Ἀμφιγυήεις
παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον Κρονίδεω διὰ βουλάς,
ζῶσε δὲ καὶ κόσμησε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
etc.

Nam priusquam perfici narrantur, neutro enumerantur loco res perficiendae: quae narrandi brevitas per totam cernitur Theogoniam. Sane non facit hic consensus solus per se fidem Steitzianae recensioni, quia ut ad Theogoniae normam per omnes et priscas et recentiores partes Opera et Dies redacta putemus nulla flagitat ratio [50]). Alia vero fidem faciunt. Nam primum non commutando affingendo transponendo discrepantias depellit Steitzius, sed tantum eliminando. Tum locum cum usu Homerico aequandi studio versus 60—69 deberi sane quam credibile est. Tertio denique, quod Steitzius ipse non vidit, ut versus 79 adscriberetur — et adscripticium is ipse semet aperit — vix accidere potuit post Vulcanum iussum *ἐν ἀνθρώπου θέμεν αὐδήν*: versum autem 59 si excipiebat 70, cuilibet, qui alius fortasse carminis recordatus vocis men-

[49]) Qui sunt 567 sqq. Id autem inter duos locos attendendum est interesse, quod theogonicus scriptor per *αὐτίκα* de Iove narrat malum moliente, hic, cum iam ipsum Iovem induxerit minitantem, de Vulcano figurante mulierem. Neque tamen nimis dure per *αὐτίκα* post convicia a Iove in Prometheum coniecta versumque 59 pergi concedendum est Schoellio, siquidem Iovi morem gerere et Vulcanum et ceteros deos satis indicant verba *Κρονίδεω διὰ βουλάς*.

[50]) Quod contra ipsum Steitzium dico una, ut aiunt, pertica duo carmina sic tractantem: „Die kürzere Weise der Erzählung, welche wir in der Theogonie und diesem Gedichte haben(!), hält sich nur an die Thatsachen. Deshalb(!) geht in der Parallelstelle der Theogonie keine ausführliche Angabe des Befehles voraus“ etc.

tionem [51]) desiderabat peculiariter ingenitae, assuendi aliquid copia erat, quo Mercurio illud negotium tribueretur sive alii deo. Quibus argumentis factam Steitzianae recensioni fidem non imminuunt ea, quae contra disputat Schœllius: nam haec ad res pertinent aut omnino non offendentes [52]) aut in mediocris certe ingenii versificatore tolerabiles [53]). Ipse Schœllius versibus 69—82 potius eliminatis discrepantias tollit. Sic Pandorae nomen locum in carmine habere desinit. Hoc vero adeo non putat ille sententiae suae obesse, ut calculum contra adiciat. Nam id ipsum, quod per versus 69—82 nomen Pandorae prodatur, apertissime indicare, quo consilio versus adscripti atque interpolati sint. Nimirum cum alii poetae de illa narrarent, quae apud Hesiodum „mulieri omnino" tribuerentur, id interpolatorem egisse, ut vatem antiquissimum ad illorum rationem redigeret. Itaque unius vocabuli gratia, quod multo simplicius inseri potuit, seriem tredecim versuum carmini iniunctam esse existimat. Quod cum a probabilitate longe absit, praeferendam puto Steitzii recensionem. Ceterum sive haec fuit pristina narratiunculae forma sive illa, ut totum episodium, ita nimirum nomen quoque Pandorae ab Hesiodo alienum est. Et ascriptam sane esse fac eam particulam, qua

[51]) Non necessario quidem hanc requiri patet. Nam non inanimem a Vulcano effictam esse compagem et per se probabile est et inde colligi licet, quod ab alio quoquam animam ei inspiratam esse non memoratur: quippe Mercurius non animam omnino ei inspiravit, sed prospexit tantum, ut dolo ea et calliditate imbueretur. Animam autem si dedit Vulcanus, dicendi quoque, qua praecipue proditur anima, eum dedisse facultatem consentaneum est et sic Theogoniae auctori rem visam esse ipse concedit, cum tacet de facultate illa peculiariter indita.

[52]) Veluti assentiet vix quisquam Schœllio v. 94, siquidem exstiterit in antecedentibus ipsum nomen, pro γυνὴ exspectanti Πανδώρη: perinde ac si eum, qui semel designatus sit nomine, eodem semper per narrationis tenorem modo significari necesse sit. Eo magis autem mirifica est Schœllii opinio, quia v. 80 γοναῖκα ipse defendit.

[53]) Nempe ut versus 69—82 potius extrudamus neque v. 69 ὥς ἔφαθ' movet inusitatius quamvis non antecedente oratione directa adhibitum neque maior versuum 60—68 nitor neque imitationis vestigia versibus 73 sqq. inhaerentia.

nomen illud traditur, ut in utroque carmine nomine carens a deis mittatur mulier: non desinit nihilominus inter duas mulieres id interesse, quod alio prorsus atque theogonica illa mulierum progenitrix functa ministerio altera ea, cui nomen suum derogat Schoellius, mulier pestem hominibus affert. Qua de re parum acriter, ut videtur, ab eo percepta[54]) disserere nunc ingredienti reliqua, quae in Operibus de Pandora traduntur, mihi enarranda sunt.

Haec, posteaquam a deis deabusque exornata est, iussu Iovis a Mercurio deducitur ad Epimetheum, qui quamquam ante monitus a fratre, ne quid doni a Iove accipiat, accipit tamen mulierem detrimentum hominibus inflicturam. Nam aperit statim Pandora dolium quoddam fatale, unde erumpens malorum multitudo felicitati generis humani finem imponit: sola tamen spes remanet in dolio, quae ne evolet impedit mulier operculo satis mature reposito. Quo quidem ex tempore, inquit poeta,

μυρία λυγρὰ κατ' ἀνθρώπους ἀλάληται·
πλείη μὲν γὰρ γαῖα κακῶν, πλείη δὲ θάλασσα.

Contra in Theogonia figurandam quidem eodem consilio Iupiter curat mulierem et ad homines deducendam, sed et nomine haec caret et aliter atque per apertum vasculum pernitiem immittit: facta enim universi sexus muliebris progenitrix causa est omnium calamitatum, quae a mulieribus proficiscuntur desidiosae luxuriae deditis. Nihilominus conspirare cum Theogonia alterum carmen rati et primam mulierem et ob id ipsum perniciosam esse Pandoram permulti viri docti existimant. Atque antiquiorum quidem, qui hanc sententiam profitentur, e criticorum numero primum affero Buttmannum, qui de Pandora disputat Mythol. I p. 55 sqq. Reticet is nescio quo pacto, quid dolium sibi velit malis refertissimum, si ex ipsius

---

[54]) Nam cum dicit, apud Hesiodum „mulieri omnino" mala tributa esse, priusquam nomen Pandorae interpolator intulisset, nonne ad totius stirpis muliebris depravatam indolem et naturam ea relata esse existimat? Hoc vero etsi cum theogonicae, non cum eius tamen narrationis, quam Opera et Dies exhibent, conspirare consilio mox apparebit.

mulieris perdita natura illa pullulent. Nec non aliud quid mirifici in narratione remanebit, si quis eam cum Theogonia conspirare statuerit, quod genus humanum propagari potuisse putatur sine mulieribus. Qua quidem nimirum non sublevat offensiuncula narrationem Buttmannus, cum Prometheum et Epimetheum primigenos homines fuisse fingit. Nam fac, primigenos eos homines putandos esse (attamen re vera aliter res se habet): nonne, ne exstirpemus omnem sanam rationem e fabula, praeter Prometheum et Epimetheum alios eosque minime paucos tum, cum mitteretur Pandora, homines fuisse credamus necesse est? Item Mitscherlichius de progenitrice labem morum in filias suas disseminante in Operibus agi censet, non Hesiodo ceterum, sed emblematum cuidam structori versus 42 sqq. assignans [55]). Neque vero fugit Mitscherlichium, cum tali explicatione pugnare mentionem dolii, qua plane abducatur mens a Pandora tanquam primigena malorum causa: ac petit vir suspiciosus inde argumentum, quo diversas hoc loco, quarum alia alius sensum obscuret, fabulas in unam congeriem inepte constipatas esse doceat. Quod autem tum demum Pandora dicatur missa esse, cum iam multas aetates genus humanum propagatum atque ope ignis ad cultum aliquem provectum esset, admodum desiderari iudicii subtilitatem: qua quidem vituperatione sua ipsum quoque Hesiodum, utpote cuius putet narrationem theogonicam, afflictum neglexisse videtur Mitscherlichius. Assendit quidem huic Lehrsius, complures congestas esse fabulas, sed adeo non dissimiles putat, ut pertineant singulae ad malorum originem declarandam. Quibus ex fabulis unam talem esse, ut e mulierum pravis moribus mala in homines redundasse, aliam vero talem, ut infelicitatem hominum ad dolium a muliere apertum referendam doceat. Vides igitur, acutioris ingenii viros, cum explicandi eam, quam respicientes Theogoniam appetebant, rationem accommodare non possent mentioni dolii, eo confugisse, ut aliunde hanc adiunctam dicerent: quam cum pro-

[55]) Schulzeitung a. 1828 part. 64.

fitentur sententiam, non iam totam, quae traditur de Pandora in Operibus, fabulam, sed partem tantummodo illius congruere cum theogonica narratione confitentur. Et Rankeo quoque ita differre duarum narrationum formae videntur, ut praeter malorum originem, de qua in Theogonia tradatur, aliam fuisse poeta perhibeat, in emissis scilicet e dolio malis positam: quae duplex mala ab ultimo initio repetendi ratio quomodo factum sit ut in unius narrationis tenorem conferciretur, reticet criticus. Rursus etiam recentioribus temporibus nonnulli exstiterunt, qui non curantes magis quam Buttmannus dolium illud fatale nequaquam dubitarent, quin eodem plane duae narrationes redirent: in quibus miror Prellerum esse, virum fabularum scientia praecellentissimum [56]). Iam vero si quaeritur, quae causae fuerint, cur de prima muliere mores suos ad perniciem hominum in filias propagante in Operibus agi permulti viri docti existimarent, quidam eorum sine dubio eo, quod idem nomen duo carmina praeferunt, ut de eadem fabulae conformatione cogitarent inducti sunt. Deinde, quia malis sane quibusdam artibus Pandora instructa esse traditur, facile fieri potuit, ut illas ipsas viri docti pro calamitatibus eis haberent, quibus homines Iupiter propter surreptum ignem punivisset. Sed quicunque sic statuunt negligunt aliquid, quod negligi minime debet, non conspirare duo carmina in describenda mulierem recipiendi ratione. Etenim cum e Theogonia id tantum cognoscatur, adductam mulierem ad homines ab iisque receptam esse, in Operibus de fratribus genus humanum repraesentantibus is, qui recepit Pandoram, ab altero ante admonitus esse dicitur, ne donum ullum a Iove acciperet. Itaque id curasse Iupiter putandus est, ut Epimetheum a consilio fratris abalienaret. Quod ad perficiendum quid magis erat idoneum, quam ipsam mulierem illecebris quibusdam exornare Epimethei animum irretientibus? Atque huiusmodi illecebrae putentur necesse est dona a diis Pandorae tributa:

[56]) Vid. mythol. graec. p. 63 sqq. Idem iudicant exempli gratia Vœlckerus mythol. Iapet. p. 34, 317 et Eichhoffius in annal. phil. vol. 120.

id quod primus perspexit Welckerus l. s. Nempe pulchra est Pandora ac munda, ut valde arrideat Epimetheo, atque dolosa blanditiarumque perita, ut ipsa ei ne se repudiet persuadeat. Iniuria igitur Mitscherlichius Pandoram non tam parariam ac sequestram malorum, quam ipsam malorum omnium officinam esse ex operoso eo cultu, quo aditum sibi ad homines paret, colligit. Idem, non sermonem omnino esse de muliere morum suorum satu perniciosa, sed alio eius pertinere malas artes, contra Lehrsium monendum est et Rankeum et alios omnes, quibus theogonica illa malorum origo antecedere videtur in Operibus malorum e dolio emissionem. Verumtamen eo, quod pelliciendi potius Epimethei causa dona in Pandoram congesta esse demonstravimus, non omnem obstruximus viam, qua consensum ambarum narrationum quispiam efficere conetur plenum: nam dixerit forsitan, non proprie intelligendum esse dolium a Pandora apertum, sed ita, ut pectus eius significet vitiis ingenitis habenas iam remittens. Contra quod primum proferendum est tantum abesse, ut per similitudinem se loqui scriptor indicet, ut contra cum tali loquendi ratione et magni operculi et non evolantis spei mentio vehementissime pugnet, siquidem illud cordi humano indere ineptum est, et haec non penes solam Pandoram remanere putanda. Tum, si aeque atque theogonicus scriptor infelicitatem hominum e perditis mulieris missae moribus repetere voluisset, primae nimirum mulieris loco Pandoram habuisset: nam non in eo certe esse potest Iovis poena, ut perpaucae, sed in eo, ut omnes mulieres in naturam illius abeant. At, quod iam pridem Schœmannus commonuit, prima mulier fuisse Pandora neque dicitur neque cur fuisse existimetur quidquam causae est. His argumentis aliud accedit non arcessitum, si quid video, adhuc a viris doctis, quo non collocari ab interpolatore supplicium de hominibus sumptum in natura mulieris etiam evidentius mea quidem sententia appareat, id dico argumentum, quod suppeditant vv. 100—104: nam cum ceterorum malorum terra marique hominibus imminentium, quorum in numero exempli gratia bella, naufragia, fames, sitis, labores habenda sunt, tum morborum omnium

culpam in mulierem conferre neminis est nisi prorsus delirantis. Ergo id interest inter duas fabulae conformationes, quod in Theogonia mulier unum illud malum dicitur pro igne abducto a Iove missum neque adicitur quidquam de ceterorum malorum origine, sed in Operibus ope Pandorae dolium aperientis omnia mala homines invasisse perhibentur. Hic vero manifestum fit, quod supra dixi, non tolli id discrimen exterminatis versibus 69—82: nam sic et dolii mentio intacta relinquitur et versus 100—104. Ceterum utriusque fabulae rationem non est accurate attendentis, Pandorae nomen etiam theogonicae primae mulieri tribuere, quamquam sic facere ne ii quidem verentur, quibus reliquum narrationum discrimen satis dilucide perspectum est, veluti Welckerus, vir sagacissimus [57]).

Satis igitur praesto sunt indiciorum, quibus non e mulieris natura mala generi humano imposita pendere poetae videri appareat. Difficillimum autem est pro summa eius reticentia

---

[57]) Fuerunt qui versibus 57 et 58 significari censerent matrimonia cum filiabus Pandorae viris contrahenda: qualis ferebat interpretatio, ut multitudinem mulierum per singularem numerum *ἑὸν κακὸν* exprimi putarent (cf. schol.). Sed, ut persuasissimum eis erat conspirare cum theogonica huius carminis fabulam, etiam hanc negligentiam scribendi pati malebant quam temptare interpretationem poetae verbis magis accommodatam. Et affirmabat eorum opinionem participium *ἀμφαγαπῶντες*, quod de amore apte dici videbatur coniugali. Attamen re vera, modo sine praeiudicata opinione ad eos accedas, nihil in versibus inest, quo de prima muliere eiusque filiabus cogitare cogaris. Nam grammaticam sequens rationem illud *κακὸν* intellige, quaeso, solam effigiem muliebrem a Vulcano fabricatam: nonne iam congruunt versus cum totius narrationis consilio, quod quam diversum sit a theogonica fabula fusius supra demonstratum est? Scilicet omnium hominum malum propterea Pandora iure appellatur, quia calamitatibus e dolio ab ea emissis totum genus humanum affligitur. *Ἀμφαγαπῶντες* autem nihil aliud est quam „benigne recipientes“, cui notioni fidem faciunt haec Eumaei, divini subulci, verba ξ 378—381 tradita:

ἀλλ᾽ ἐμοὶ οὐ φίλον ἐστὶ μεταλλῆσαι καὶ ἔρεσθαι,
ἐξ οὗ δή μ᾽ Αἰτωλὸς ἀνὴρ ἐξήπαφε μύθῳ,

diiudicare, qua dolii fatalis, unde postea mala emittit, compos Pandora facta sit. Hac de re ita etiam nunc viri docti dissentiunt, ut alteri apportatum a Pandora ad Epimetheum, alteri Procli potius auctoritatem secuti iam antea in domo Epimethei stetisse dolium existiment. Et propemodum satis habent alterutram sententiam profiteri, in munienda ea non multum laborantes. Copiosius tamen cur iam stetisse dolium in domo Epimethei credat Buttmannus explicat. Qui cum maius vas, quam quod apportare Pandora potuerit, indicari putat appellationibus *πίθος* et *μέγα πῶμα,* mirum in modum ineptit. Nam certe, priusquam ad Epimetheum venit, non conficiendum fuit Pandorae longum iter ac molestum, sed per auras a deo vecta subito in terra constitit. Quod quomodo fieri potuerit quaerere nimis curiosi est. Scire satis habeamus oportet, non alienum esse tale opus a dei potestate. Mulierem autem si illo modo Mercurius ad Epimetheum ducere potuit, quid tantum eum valuisse diffidamus, ut una cum Pandora

---

ὅς ῥ' ἄνδρα κτείνας, πολλὴν ἐπὶ γαῖαν ἀληθείς,
ἤλυθ' ἐμὰ πρὸς δώματ' · ἐγὼ δέ μιν ἀμφαγάπαζον.

Item altero, ubi extat, loco Homerico (*Π* 192) verbum *ἀμφαγαπάζειν* non de complexu amatorio, sed de benigna, qua quis fruitur, tractatione intellegitur. Atque cur laete benigneque Pandoram receptum iri Iupiter speret minime in tenebris iacet: fidit fore, ut venustate virginis animi hominum permulceantur. Totum igitur si spectas locum Hesiodeum, haec fere dicit princeps deorum: mittam ego hominibus, ut surrepti ignis poenam luant, malum quoddam idque tam mire affectum, ut non doleant eo homines, sed laetentur, quamquam non boni quidquam, sed vere malum benignitate amplectentes: unde apparet, quam procul ii a veritate absint, qui illud *τέρπωνται* per acerbam irrisionem dictum putent de miseriis ex recepta Pandora in homines redundaturis. Ceterum scribendi negligentia, qua futuris hominibus res praedicitur tunc ipsum viventes, confestim affigens, etiam versus 57 et 58 laborant. Dicere poeta voluit v. 56, e furto Promethei et eum ipsum damnum capturum esse et homines eosque quidem ita, ut hominum tum viventium damnum ad posteros propagetur: hoc autem in unum confundit verbis *καὶ ἀνδράσιν ἐσσομένοισιν.* Nunc cum pergit *τοῖς δ' ἐγὼ* etc., non posteros intelligit, sed tunc ipsum viventes, quos seorsum exhibere ante omisit. Sic expeditur locus, quem lacunosum esse iniuria nonnulli opinati sunt.

vas aliquod etiam latioris paulo ambitus appareret [58])? Sed petit Buttmannus aliud, quo opinionem suam defendat, argumentum ex verbis *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι* sic mire acceptis, ut non dolium, sed domum Epimethei significent firmam atque stabilem: intra quam cum spes remansisse dicatur, non dubium esse, quin stetisse ibi ad id tempus dolium putandum sit. Haec verborum *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι* interpretatio merito plurimis displicuit. Etenim cum in usum epitheti ornantis *ἄρρηκτος* vocabulum non abierit, quaerendum est, qua de causa tanta firmitas a poeta Epimethei domui tribuatur. Hoc vero ut difficile dictu, ita apertum et manifestum est, summa firmitate, cum inclusos teneret turbulentissimos inquilinos, non carere debuisse dolium: quocirca ad id potius poetam verbis *ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισι* spectare et in medio relinquere, utrum sub divo an sub tecto [59]) res factae sint, tenendum est. Sed etiamsi ad domum Epimethei verba illa referuntur, non efficitur inde quod vult Buttmannus: nam quid impedit, ne a Pandora demum domum Epimethei ingressa dolium ibi collocatum esse dicamus? Ergo non contigit Buttmanno, ut alteram eam, qua apportasse dolium Pandora intelligitur, rationem interpretandi praecludat. Ceterum fingit vetitos esse homines dolium aperire oraculo, sed visundi cupiditate incensam [60]) non oboedivisse ei mulierem. Similiter Lehrsius, qui Iovem ipsum ante missam Pandoram mala Epimetheo putat dedisse in dolio conservanda, rixantem quondam cum viro mulierem illud maligne aperuisse conicit. In quo idcirco Pandoram a

[58]) Praesertim cum Thetidis meminerimus, quae

ἴρηξ ὣς ἆλτο κατ᾽ Οὐλύμπου νιφόεντος,
τεύχεα μαρμαίροντα παρ᾽ Ἡφαίστοιο φέρουσα.

(Il. XVIII. 616 sq.).

[59]) Nempe manens in metaphorica elocutione *θύραζε* v. 97 poeta dicit de foramine dolii.

[60]) Hoc quidem ut scriberet recordatione nescio an impulsus sit horum fabulae Babrianae 58 versuum:

ὁ δ᾽ ἀκρατὴς ἄνθρωπος εἰδέναι σπεύδων,
τί ποτ᾽ ἦν ἐν αὐτῷ, καὶ τὸ πῶμα κινήσας,
διῆκ᾽ ἀπελθεῖν etc.

Iove missam negligit, ut sempiternam pernitiem hominibus infligeret. Talis vero consilii ex infestissimo animo nati effectum quis putabit permissum esse a deo rei fortuitae, qualis est rixa nescio qua occasione aliquando exorta? Nempe ni rixa exorta esset, remansissent mala in dolio nec beate vivere homines desiissent. Idem fere in Buttmannum cadit, qui quomodo fieri potuerit, ut homines punirentur, si restitisset Pandora cupidini visundi, ipse videat. Itaque id saltem Iupiter curare debuerat, ut aut rixandi studium aut curiositas animo Pandorae ingigneretur: cuiusmodi nihil in carmine reperitur. Omnino, etiamsi aliter atque Buttmannus et Lehrsius singula persequantur, cum iis, qui iam stetisse dolium in Epimethei domo censent, faciendum non est. Nam cum id negotii, ut moribus in filias disseminatis noceat, a Pandora abiudicandum sit, quo alio consilio eam missam esse contendere poterunt atque eo, ut praesto esset aliquis, qui vas fatale aperiret? Cui si aperiendo tantummodo mens Iovis intenta erat, haud sane intelligitur, cur mulierem primum procreandam tum exornandam postremo ad homines deducendam curare maluerit quam ita multo simplicius rem instituere, ut ipse illud aperiret: nam si per sequestram, certe ipse hoc facere potuit. Videsne igitur, ne operosius quam consultius egisse princeps deorum iuste arguatur, eam quam mittit mulierem multo arctiore et tanquam interiore vinculo cum suppellectile fatali coniungendam esse? Neque hoc praestandi non faciunt initium qui dotis dolium esse putant a Pandora ex Olympo allatae. Sed ne in horum quidem, quia roganti, cur per istas ipsas tantas ambages dolium Iupiter apportandum curaverit, nihil respondent, opinione acquiescendum est. Vera igitur quae sit fabulae ratio diu equidem meditatus aperiri eam non posse mihi persuasi, nisi si fraus a Iove per Pandoram missam in homines intenta cum ea, qua ipse antea Meconae afflictus est, in comparationem vocata sit. Est, ut breviter dicam, posterior fraus prioris dolosa imitatio, quam temptare Iupiter animum induxit, postquam ereptionem ignis prudentia Promethei ad irritum redactam esse cognovit. Quod quo luculentius appareat,

id Prometheum Meconae egisse memineris, ut ad mali aliquid accipiendum Iovem pelliceret ideoque fronte id reddidisse splendidum. Cum vero accipit Iupiter, non in praesens tantummodo tempus damnum sibi infert, sed tanquam pacto sancit ne unquam ius sit, ut a deteriore parte ad meliorem enitatur: quo spectant versus

ἐκ τοῦ δ᾽ ἀθανάτοισιν ἐπὶ χθονὶ φῦλ᾽ ἀνθρώπων
καίουσ᾽ ὀστέα λευκὰ θυηέντων ἐπὶ βωμῶν,

scilicet verbis „non ipsam carnem“ supplendi. Item homines ut potestatem habent non accipiendi, ita secundum sublimiorem eandem illam accipiendi actionis notionem accepti semel doni non iam impedire possunt quominus tota vi opprimantur. Haec autem eo continetur, quod pariter atque Iupiter Meconae [61]) accipiunt aliquid fronte splendidum, intus malum: nam pulchra virgo omnibusque illecebris exornata non est sola per se donum a Iove missum, sed dolii, quod iussu Iovis et apportat et aperit, malis repleti nihil aliud quam fallax integumentum. Sic dolum dolo rependens Iupiter simul ostendit, suam ipsius prudentiam humana multo esse superiorem, quandoquidem ipse consulto deteriorem sibi partem vindicat, sed homines discrepare cum specie splendida reliquam doni partem non intelligentes temere in perniciem incurrunt. Haec mea sententia non refellitur eo, quod v. 85 sola Pandora *δῶρον* appellatur. Scilicet narrat poeta ex animo hominum, qui aliud quoddam pulchrae virgini subesse simul sibi accipiendum non statim perspicientes solam eam dono sibi missam esse opinantur. Ceterum nescio an falsum sit versus 81, 82, quemadmodum fieri solet, sic interpretari, ut Pandora inde nomen traxisse dicatur, quod ab unoquoque deorum dono dotata sit, veluti a Minerva vestitu, a Mercurio fallacia etc. Nam primum haud bene pro *ἕκαστος τῶν θεῶν ἐν αὐτῇ δῶρον ἐδώ-*

61) Non exanimo tamen, sed vivo fraudis Iupiter utitur instrumento, quod eadem qua ipse deus in homines malevolentia ardet: nam ait poeta v. 95:

ἀνθρώποισι δ᾽ ἐμήσατο κήδεα λυγρά.

ρησεν dicitur πάντες θεοὶ δῶρον ἐδώρησαν. Tum, quod maioris facile momenti est, non liquet, quo iure de donis Pandorae tributis unumquodque hominum πῆμα vocetur, siquidem ad pelliciendum Epimetheum non singula valent dona, sed universa. Quibus de causis illud δῶρον v. 82 ipsam Pandoram intelligo, ab omnibus deis generi humano dono datam pariter videlicet iratis, quia fraude Meconea pariter afflicti sunt (cf. Theog. v. 556). Nec parum sane praesidii huic interpretationi inde accedit, quod idem substantivum in tertio proximo versu Pandoram significat. Utique errat Heyerus, cum sic versus 81, 82 explicat: „Pandorae nomen mulieri inditum, quia omnes dei ei donum dederunt (suppl. οἱ ad ἐδώρησαν), idque donum, pyxis videlicet, ipsum πῆμα mortalium vocatur." Nam ad vas quodpiam talem significationem pertinere non intelligeret nisi qui legendo usque ad versum 94 pervenisset. Nec vero ad tuendam Heyeri opinionem afferri licet, id incerta significatione poetam efficere velle, ut summe exspectent legentes, quidnam rei sit istud δῶρον: nam si poeticum hoc consilium sequeretur, alio interim substantivum δῶρον sensu non usurparet. Sed ad ipsam fabulam redeamus. Restat adhuc haud facilis sane quaestio iam a Comano grammatico in προτάσεων libro scholiasta teste ad v. 97 proposita, eam dico, quae est de spe cum malis dolio inclusa neque tamen simul emissa. Difficilem hanc quaestionem esse existimo non quo cum Spohnio et Mitscherlichio in eo offendam, quod demulcens mirum in modum animos hominum spes cum malis congregatur. Immo haec congregatio propterea aptissima est, quia nisi malis spes non gignitur: quod recte monet Buttmannus [62]). Minore etiam iure Proclus et alii mirantur, Pandoram, quamquam ut perniciem hominibus strueret missam, tamen spe quidem retenta bene eis consulere. Nam, ut Moschopuli verbis utar, πόθεν δείκνυται ἡ ἀνάγκη αὕτη, ὅτι ἠθέλησεν ἡ Πανδώρα καὶ ὁ Ζεὺς οὕτω κακοποιήσειν

[62]) Non minus bene Schœmannus spem malorum quasi comitem et remedium appellat.

τοὺς ἀνθρώπους, ὡς μηδὲ ἴχνος παραμυθίας αὐτοῖς ἐάσειν; Sed quomodo tandem spes dolio inclusa vim suam in homines potest exserere? Nonne, sicuti mala inter homines grassantur eosque vexant, ita emissam spem convenit adire homines miseros et consolari? Itaque desperato rerum narratarum concentu spem praedicat Mitscherlichius huc tractam ex narratione illa, qua bonorum dolio inclusorum sola non deseruisse homines spes fingitur, *τῶν πεφευγότων ἡμᾶς*, ut ait Babrius in fab. 58, *ἀγαθῶν ἕκαστον ἐγγυωμένη δώσειν*, cum ita potius res aperte se habeat, ut iisdem atque Mitscherlichius dubitationibus permoti posteriores aetate poetae narrationem aliter adornaverint. Neque expediunt fabulam qui scriptori eius ipsam quoque spem in malis numerandam videri statuunt. Quam sententiam ut comprobet, in rem suam trahens Thucydidis quosdam et Sophoclis locos [63]) apud antiquos Graecos omnino in malis spem habitam esse contendit Goettlingius. Sed illis locis cum alii obstent, quibus commendatur spes ac divinis laudibus effertur, veluti dulcissimis his Theognidis versibus [64]):

Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μούνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν,
ἄλλοι δ' Οὔλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν.

— — —

ἀλλ' ὄφρα τις ζώει καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο,
εὐσεβέων περὶ θεούς, ἐλπίδα προσμενέτω,
εὐχόμενός τε θεοῖσι, καὶ ἀγλαὰ μηρία καίων
ἐλπίδι τε πρώτῃ καὶ πυμάτῃ θυέτω,

equidem non video, cur Graeci de spe aliter diiudicavisse existimandi sint atque nos, qui talem licet concedamus rerum aliquando esse condicionem, ut prudentiae magis et consilio confidatur oporteat quam spei, magni tamen in universum hanc

---

[63]) In quibus Soph. Ai. 473, perinde ac si ad totius gentis sententiam cognoscendam prosit hominis exclamatio ut singulariter vexati, sic singulariter desperantis.

[64]) Qui sunt 1135—1146. Adde Sophocl. Oed. tyr. 158. Theocr. 4, 42.

aestimamus, quia erigit quemvis afflictum validumque reddit ad difficultates superandas[65]). Rectissime deinde contra Gœttlingium monet Schœmannus, si in malis spes esset, cum ceteris malis eam evolare e dolio necesse esse, scilicet ut illa ad vexandos homines, ita ipsam ad fallendos et decipiendos. Artificiosius etiam sic rem Proclo teste accipit Aristarchus: *ἡ μὲν τῶν κακῶν (ἐλπὶς) ἔμεινεν, ἡ δὲ τῶν ἀγαθῶν ἐξῆλθεν,* qua dicit explicatione, emissorum e dolio malorum perpetua homines angi exspectatione: quod ingeniose quidem excogitatum est, sed vel ideo improbandum, quia alteram illam spem, quae est bona, malis adiungi post emissionem cirvumvagantibus hominesque invadentibus non convenit. His rebus perpensis nullam aliam video explicandi rationem atque hanc a Lehrsio praeeunte Buttmanno propositam: „providus praeter mala etiam spem Iupiter incluserat et eius cura factum est, ut femina, antequam spes evolaret, clauderet dolium. Sic igitur malorum homo iam non habet potestatem, spem sibi habet“. Quae interpretatio conciliari non potest cum eorum opinione, qui in malis spem ponunt, siquidem quod l. s. Heffterus statuit, velintne an nolint spe falli in hominum potestate fere situm esse, communi hominum indoli non respondet ad hunc maxime affectum propensae.

---

65) Cf. Cic. de legg. II, 11. Tibull. II, 6, 19 sqq.

Vita.

Natus sum Guntharius Koch in viculo Thuringensi, cui nomen est Cursdorf, a. d. XI. Kal. Jan. anni MDCCCLXIII patre Guilelmo, matre Rosalia e gente Morgenroth, quos superesse valde laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Elementis litterarum primum in publica, tum in privata schola imbutum puerum me decem annorum parentes tradiderunt gymnasio Rudolphopolitano. Post comprobatam vero anno MDCCCLXXXII maturitatem primum Lipsiam me contuli, ubi vestibulum philologiae emensus sum ducibus Curtio et Ribbeck, deinde Heidelbergensem adii universitatem, tum Berolinensem, postremo Halensem, ubi examine superato facultatis docendi testimonio ornatus sum. Audivi autem praeter eorum, quos commemoravi, imprimis lectiones clarissimorum virorum Brandt, Dittenberger, Eckstein, Hiller, Keil, Maas, Uhlig, Vahlen, Wachsmuth; Caspari, Drobisch, K. Fischer, Haym, Vaihinger; Bartsch, Biedermann, Burdach, Gering, Scherer, Zacher. Praeterea et Heidelbergensis et Halensis seminarii philologici societatumque theodiscarum, quas regebant Burdach et Zacher, interfui exercitationibus. Quibus omnibus viris optime de me meritis nunc etiam doctoris philosophiae dignitatem adeptus gratias ago quam maximas.